

illam infallibiliter inferat, non tollat tamen, sed e contra inferat, quod sit futura contingens, & liberè sub tali conditione, alioquin non foret efficax.

Quæ opponi possunt de veritate propositionum de futuro independentè a decreto, seu de lege contradictoriarum, præoccupavimus supra, dum de scientia futurorum absolutorum.

§. X. *Asseruntur decreta in Deo subjectivè absoluta, & objective conditionata.*

Cum hucusquè probaverimus, Deum futura conditionata non cognoscere per scientiam mediā ante decretum, sed in ipso decreto subjectivè absoluto, & objective conditionato, rerum futuritionem conditionatam determinante; hujusmodi verò decreta totis lacertis impugnet Adversarii, negentque dari in Deo; superest ad complementum hujus celestis controversiæ, ut invictis rationibus ostendamus ea esse admittenda. Pro quo

Nota 1. Decretum in Deo, quod dicitur etiā prædefinitio, & prædestinatio, (sumendo prædestinationem lato sensu) nihil est aliud, quam libera divinæ voluntatis volitio, seu determinatio efficax, & infallibilis, suavis tamen, circa eventus futuros. Duplex est, absolutum, & conditionatum. Absolutum, quod a nulla conditione pendet sive ex parte subjecti, sive ex parte objecti, & exprimitur absolute per verbum volo: v. gr. *Volo creare mundum, volo salvare Petrum.* Conditionatum, quod pendet ab aliqua conditione, & sub illa exprimitur. Ex hoc iterum est duplex: conditionatum ex parte subjecti, & ex parte objecti.

Conditionatum ex parte subjecti est, quando persona decernens non habet quidem actualem voluntatem tale quid faciendi, haberet tamen, si certa conditio poneretur: ut cum dico: *Vellem venari, si non essem Clericus: Vellem ire Romam, si non essem podager.* Undè tale decretum est tantum volitans, qua quidem nihil actu decernitur, sed remittitur decernendum in futurum, si ponatur conditio. Conditionatum ex parte objecti tantum est, quando persona decernens habet actualem volitionem aliquid faciendi, suspenditur tamen executio, donec ponatur certa conditio: ut cum quis dicit *Volo dare mille florenas Titio, si ducat filiam meam in uxorem. Dabo equum meum Caio, si me eras convenerit.*

Nota 2. Dari in Deo decreta absoluta circa eventus futuros, nullus negat: quia Deus nihil facit in tempore, quod non voluerit ab æterno, cum non incipiat in tempore velle aliquid. Sed quoad actus nostros liberos est disparitas inter nos, & Molinistas, quod secundum nos decretum absolutum sit certò, & infallibiliter determinans, & causans eorum futuritionem, consequenter sit aptum medium, in quo Deus futura absoluta certò cognoscit. At secundum Molinistas non est decretum determinans, sed concurrendi dumtaxat ad actum, ad quem Deus per scientiam mediā vidit hominem se innata libertate determinaturum, paratus concurrere ad oppositum, si ad hunc homo vellet se determinare. Undè certitudo eventus futuri non repetitur ex illo decreto absoluto, sed ex scientia mediā, sicque istud decretum non est medium, in quo Deus futura absoluta certò cognoscit, sed conditio tantum, sine qua nihil sciri potest liberè futurum, ut dicit Annatus §. 4. probat. 2. Neque Molinistæ illum communiter assignant tamquam medium, ut vidimus art. 4. hujus Diss. Quandoquæ tamen, dum arguentur argumentis, ad illud confugiunt, ut effugiant. Vide §. citi, & alibi.

Insupèr certò constat, non dari in Deo decreta conditionata ex parte subjecti, quia, cum involvant imperfectionem potentialitatis, & suspensionis, Deo repugnat. Est ergo quæstio de solis decretis subjectivè absolutis, & objective conditionatis, determinantibus futuritionem conditionatam rerum.

Dico: Admittenda sunt in Deo decreta subjectivè absoluta, & objective conditionata futuritionem conditionatam rerum determinantia.

Prob. 1. ex Scriptura. Deus in Scripturis promittit se plura facturum, si certa poneretur conditio: v. gr. promittit Adæ, quod ejus posteri nascerentur in justitia originali, si ipse non peccaret. Promittit Filiis Israël, quod eos introduceret, & conservaret in terra promissionis, si legem observarent. Promittit Davidi, & Salomoni, quod Filii eorum sederent in sæculum super Thronum Israël, si mandatis ejus obtemperarent. Item promittit Abraham, quod parceret Sodomæ, si in ea fuerint decem viri justi, & alia plura similia. Dum ergo Deus hæc promittit, vel habeat voluntatem promissum adimplendi posita conditione, vel non. Si primum, habemus intentum; est enim ibi voluntas, seu decretum ex parte subjecti absolutum, & ex parte objecti conditionatum. Si secundum, ergo mentis est Deus, promittens se facturum, quod facere reverè non volebat.

Item: plura futura conditionata ut certa revelantur in Scripturis, v. gr. quod Rex Joas percussisset Syriam usquè ad

consumptionem, si septies percussisset jaculo terram: quod Tyrus, & Sydonii converterentur, si annatiarentur ipsis Christus: quod viveret Rex Sedecias, si exiret ad Regem Babylonis: quod Pater æternus mitteret Filio decem legiones Angelorum, si ab ipso rogaretur, & alia. Vel ergo voluntas divina erat determinata circa hæc futura, posita conditione, vel non. Si primum, iterum habemus intentum: si secundum, ergo hæc futura erant etiā indeterminata, & suspensa, nec poterant dici in Scripturis certò futura, si poneretur conditio; siquidem, manente indeterminata, & suspensa voluntate divina, a qua pendebant, ipsa etiā manent indeterminata, & suspensa. Neque dicas cum Tournely, & aliis Molinistis, hæc certò futura sub conditione affirmari, non ex decreto quod jam esset, sed ex decreto quod fuisset conditio: cum enim inter decretum, & conditionem ex natura rei nulla esset connexio, non potest dici ponendum fuisse decretum, nisi Deus ipse decrevisset sic ponere decretum, siquæ nisi esset decretum decreti, quod est absurdum. Vide §. 5. præced. Dissert.

Si dicas insupèr, in his omnibus futuris conditionem pendere non a Deo decernente, sed a voluntate humana: adversarii autem non omnino refugere decreta conditionata, modo conditio non pendat a decernente: admittunt enim decretum salvandi omnes homines, si ipsi velint: decretum concurrendi cum homine, si ipse velit. R. 1. Hoc dato, magna ex parte concidunt argumenta adversariorum. Non enim possunt amplius opponere, decreta subjectivè absoluta, & objective conditionata esse nova, & inutilia; ex his nullam sequi in creatura mutationem, quæ fundet in Deo relationem rationis, prout importat omne decretum: futurum conditionatum non posse esse objectum voluntatis divinæ, & alia. R. N. assumptum. In primis conditio requisita ad conversionem Tyriorum, nimirum mittere ipsi prædicatores, edere miracula, a solo Deo pendet. In aliis conditiones sic pendebat a voluntate creata, ut aequè ad minus etiā in sententia adversariorum pendere a voluntate Dei, cum sine illius concursu saltem nullæ fuissent ponendæ.

Prob. 2. Ex SS. Aug., & Th. Augustinus, ut ex præcedentibus constat, dicit, Deum facere futura, ea prædestinando, & quod hæc in sua prædestinatione cognoscit: eadem autem est ratio proportionis servata de futuris absolutis, & conditionatis ergo, sicut Deus facit futura absoluta, ea absolute prædestinando, ita & conditionata, ea conditionatè prædestinando. S. Thomas in 1. dist. 46. quæst. 1. art. 1. ad 2. hic quæst. 19. art. 6. ad 1. & in 1. ad Tim. 2. agnoscit in Deo voluntatem antecedentem salvandi omnes homines: & Q. 25. de veritat. art. 3. hæc voluntatem esse sinceram, & beneplacitæ; atque juxta S. Th. hæc voluntas antecedens est subjectivè absoluta, & objective conditionata conditione non pendente a voluntate humana: ergo. Prob. Minor. S. Doctor loco cit. in 1. dicit: *Voluntas antecedens potest dici conditionata, nec tamen est imperfectio ex parte voluntatis divinæ, sed ex parte voliti; quod non accipitur cum omnibus circumstantiis, quæ exiguntur ad rectum ordinem salutem.* Idem hic art. 6. cit. ut secundum D. Th. decretum salvandi omnes homines sic debeat intelligi in Deo: *Volo salvare omnes homines, si hoc non repugnet manifestationi morum attributorum, ordini providentiæ meæ universalis, contingentiæ, & defectibilitati hominum: ergo.*

Prob. 3. Ratione. Certò sunt multa futura conditionata, ut patet ex Scriptura, nec negant adversarii: atque hæc non sunt nisi per decreta subjectivè absoluta, & objective conditionata: ut namquè latè probavimus §. 5. hujus art. non sunt futura conditionata a seipsis, alioquin non forent libera, sed necessaria, contra hypothèsim; & aliudè nihil potest se extrahere e massa possibilitatis, & dare sibi aliquam actualitatem, qualis est ordo ad existendum sub conditione. Neque a conditione ponenda, cum inter illam, & futurum nulla, aut contingens tantum sit connexio, ut inter prædicationem Evangelii, & conversionem Tyriorum, inter percussorem terræ, & devastationem Syriæ. Neque a causis secundis, secluso enim decreto, seu determinatione causæ primæ, causæ secundæ sunt indeterminatæ, & indifferentes ad ponendum, vel non ponendum effectum. Neque tandem a decreto, quod esset, si poneretur conditio, quia futuritionis actualis debet assignari causam, quæ sit, & non quæ esset, & insupèr, ut modò dicebamus, cum inter decretum, & conditionem nulla sit ex natura rei connexio, non potest dici ponendum esse decretum, si poneretur conditio, nisi in voluntate divina sic esset constitutum: ergo. Vide plura loc. cit.

Item: Deus certò cognoscit futura conditionata; atque ea non cognoscit nisi in suo decreto subjectivè absoluto, & objective conditionato; non enim ea cognoscit, neque in supercomprehensione causarum, neque in decreto ut futuro, neque in veritate formali vel objectiva, ut latè probavimus in anterioribus: ergo restat solum decretum, in quo ea cognoscit.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Decreta subjectivè absoluta & objective conditionata sensu Thomistico, 1. sunt nova, quorum nempe neque in Scripturis, neque in Patribus alia sit mentio, & quæ ab ineunte dumtaxat superiori sæculo sunt inventa. 2. Sunt inutilia; quid enim conferat ad Dei perfectionem, orbis regimènti, siquidve aliud, quod Deus decernat futura sub conditione, quæ nunquam erit? 3. Sunt illusoria planè & nugatoria; siquidem sint de futuris sub conditione, quæ tota pendet a decernente, & quam statim non ponere: an non ille illudere ac nugari censendus esset, inquit Tournely, qui v. gr. diceret: *Volo dare Petro 100. nummos, si me crastina die inviset, statuat tamen ille apud se summo mane e domo discedere, nec Petrum expectare? vel ut alii arguunt: si dicat: dabo tibi 100. nummos, si per astra volaveris?* 4. Sunt implicatoria; per ea enim Deus vult & non vult idem objectum, v. gr. vult traditionem Davidi per Cælitas; & non vult, quia non vult Davidem manere apud ipsos. Vult conversionem Tyriorum, & non vult, quia non vult ipsi prædicari Evangelium.

R. 1. Hæc omnia posse retorqueri in decreta conditionata sensu Molinistico, dependetia scilicet a consensu liberi arbitrii. 1. Sunt nova & antè Moliniam inaudita, nisi forte apud Pelagianos ac semi-Pelagianos. 2. Sunt inutilia, illusoria, nugatoria, implicatoria; quia dependent a conditione ab intrinseco & ex natura rei repugnant, quæ nempe non potest impleri absquè eo ipso quoad promittitur: cum enim Deus juxta illos sic decernit: *Dabo tibi meum concursum, si te determinaveris; perinde est ac si diceret: Dabo tibi lucem, si videas hoc objectum: dabo tibi existentiam, si id egeris;* quod est prorsus nugatorium & implicatorium: quia concursus Dei non est minus necessarius homini ad se determinandum, quam lux ad videndum, & existentia ad agendum.

R. 2. ad singula. 1. Hæc decreta non sunt nova, sed in Scriptura, SS. Aug. & Th. fundata, ut patet ex 1. & 2. probatione. Quod si de iis fusiis, & distinctius dixerint recentiores quam veteres; ad id illos impellit mota de scientia conditionatorum quæstio. Imò ostendit noster Gonet, hæc olim probata fuisse illustrioribus Societ. Scriptoribus Suaresio, Arrubali, Henriquezio, & aliis.

2. Non sunt inutilia; quia, licet careant suo ultimo effectu tamè ad plura alia sunt utilis. 2. Conducunt ad perfectionem scientiæ Dei, qui absquè illis non sciret certò futura conditionata contingentia, ut satis supèrque probavimus tum hic, tum in præcedentibus. 2. Conducunt ad providentiam supremi, & universalis Gubernatoris totius universi, ut modò dicam. 3. Per ea ordinantur, & inclinantur causæ secundæ ad certos effectus, imò quidam quandoquæ producuntur: sic ex voluntate antecedente, & conditionata salvandi omnes homines providentur omnibus auxiliis sufficientia ad salutem. 4. Per ea manifestantur libertas arbitrii, defectibilitas, & contingentia creaturarum, dispositiones causarum secundarum. Sic per decretum conversionis Tyriorum, si apud ipsos fierent signa quæ facta sunt apud Judæos, cognoscimus Judæos Tyrus fuisse duriores, & obstinatiores. 5. Tandem in iis fundantur divinæ promissiones; nihil enim Deus non posse sincerè promittere sub conditione, nisi sic verè vellet.

3. Non sunt illusoria, & nugatoria. Patet 1. ex eo ipso quod sunt utilis. 2. Quia licet nugatorium sit velle aliquid sub conditione ab intrinseco & ex natura rei impossibili, quale est istud quod fingunt adversarii, *Dabo tibi 100. nummos, si per astra volaveris;* aut etiā illud quod ipsi defendunt, *Dabo tibi concursum, si te determinaveris;* ut vidimus in 1. resp. secus tamè, quando conditio est tantum ab extrinseco, & ex suppositione accidentali impossibilis, ut in nostro casu: pertinet enim ad provisorium universalem totius universi, qui causas inter se contrarias continet, ut velit quædam sub uno respectu considerata, quæ secundum alteram faciem inspecta non vult; siquæ quod quædam velit sub conditione, quam tamè conditionem propter alias rationes, quandoquæ occultas, quandoquæ manifestas, non vult poni: neque enim supremum Numen modo nostro metiri debemus. Sic, v. gr. vult Ninivitas peccatores subvertere, quos penitentes vult salvare. Vult parere Sodomæ, si in ea fuerint decem viri justi, quam, ea conditione non impleta, vult perdere. Sic vult omnium salutem, si altioribus finibus non repugnet: at, quia repugnat, vult tantum efficacitè quorundam salutem. Item, vult omnes salvare, quosdam per humiliactiones, afflictiones, persecutiones, aut martyrium; id sanè non potest velle efficacitè, nisi permittat peccata Tyrannorum, & vexantium, quos idèo justè vult damnare. Sic tandem vult omnes salvare, si finalitè perseverent in bono; & tamè non dat omnibus gratiam sive efficacem sive congruam necessariam ad perseverantiam finalem: & sic de aliis. Hæc er-

go objectio provenit ex limitata intelligentia mentis nostræ, quæ supremum numen ad instar particularis agentis considerat, nec assurgere valet ad universalis provisoris illimitatam providentiam, cujus est multa mala sive physica sive moralia propter altiores & sibi notos fines permittere, atque non solum diversa, sed & contraria inter se ordinare: juxta illud Ecclesiastes 33. *Intinere opera Altissimi; duo & duo, unum contra unum.*

4. Non sunt implicatoria. Quia falsum est, quod per ea Deus velit & nolit objectum idem formalitè, sed tantum materialitè idem, & hõc adhuc diverso modo scilicet efficacitè & inefficacitè; in quo nulla est implicancia. Sic vult salutem omnium secundum se consideratam, & hoc inefficacitè; non vult salutem omnium attentis omnibus circumstantiis, & hoc efficacitè. Vult inefficacitè conversionem Tyriorum, si prædicetur ipsis Evangelium; non vult eam efficacitè, quia propter altiores fines non vult ipsis prædicari Evangelium: vult inefficacitè Ninivitas peccatores perdere, vult efficacitè Ninivitas penitentes salvare. Sic, v. gr. viator habet voluntatem efficacem dandi pecuniam scario militanti mortem, & voluntatem inefficacem ac conditionatam non dandi, si nempe non immineret mortis periculum.

Inst. Esto sint tolerabilia decreta conditionata de rebus hoc universum spectantibus; saltem ridiculum & absurdum est ea adstruere circa infinitas combinationes rerum possibilem, ut ista, si in mundo possibili hoc animal esuriret, volo, ut talis esca utatur. Sic hæc arbor possibilis floretet, tot ejus flores fructiferos efficacem. Si avis cantaret in mundo possibili, capra ibidem saltaret, & infinita alia similia. R. Dentur, necesse, decreta conditionata circa combinationes rerum possibilem, non pertinet ad præsentem quæstionem, in qua inquirimus dumtaxat de futuris conditionatis, non mundos possibilem, sed hunc præsentem spectantibus, consequenter de decretis circa illa, & non circa possibilem. An autem reverè dentur decreta conditionata in Deo circa combinationes rerum possibilem, consequenter an ille sint conditionatè futuræ, quidam negant, quidam affirmant, ut jam dixi art. 5. hujus Dissert. sub finem, sed, & si darentur, non fore absurda, & ridicula, ostendit sequens observatio. Itaque

Ad efficaciorè & clariore harum objectionum solutionem non abs re erit annotare hic breviter, quod latius observat & explicat doctissimus noster Goudin, nempe decreta conditionata non esse consideranda tamquam omnino distincta a decretis absolutis, sed ut in eis contenta. Est enim unica simplex in Deo libera determinatio circa totam collectionem creaturarum, quæ nomine Providentiæ intelligitur; cujus virtute aliud ordinatur ad esse absolute, aliud ad esse conditionatè, aliud ad non esse; sicque, prout varè comparatur ad objecta, subit rationem decreti, tum absoluti, tum conditionati, tum volitionis, tum nolitionis; & in hac una simplici determinatione totius entis videt non modo quid absolute futurum sit, sed etiam quid conditionatè foret. Res exemplo clarescet. Suppone Architectum, qui ideam domus construendæ mente concipit, & varias materie partes variis domus locis destinavit: videt absolute lapidem, qui futurus est in tecto, talem figuram habiturum, & qui futurus est in fundamento, talem; videt etiam, quod, si ille, qui futurus est in tecto, fuisset collocandus in fundamento, non illam quam habebit, sed aliam talem figuram habuisset; neque ad id opus est aliqua speciali, & sejuncta determinatione, qua dicat: *Nolo, quod iste lapis sit in fundamento;* sed volo, quod, si vellem esse in fundamento, talem habeat figuram, ut fingunt adversarii in Deo; hoc enim videtur otiosum, & quodammodo absurdum: sed sufficit, quod prudentèr, & sapientèr decreverit tali ratione disponendam totam domum, ut in hoc decreto videat, qualis erit unaquæque pars in suo loco; & qualis fuisset, si in alio loco fuisset. Sic supremum rerum artifex certam totius entis dispositionem liberè determinavit, quæ tametsi sit in se absoluta, habet tamè rationem conditionatè ad objecta alio modo spectata: undè in ea certò videt, non solum quid sit absolute futurum, sed etiam quid in aliqua alia hypothèsi fieret. Sic, v. gr. Gen. 18. Deus Abraham prædixit absolute futuram Sodomæ subversionem: ille interrogat, an delenda foret, si saltem 20. aut 10. in ea justi essent; Respondet Deus, in hac hypothèsi non fore delendam, respiciens scilicet non aliquod otiosum conditionatum decretum, quale fingunt, & impugnant adversarii, quo sic seorsim stabilivisset: *Nolo parere Sodomæ; volo tamen, ut si essent in ea urbe decem justi, illa non periret;* sed respiciens ad illam eminentem suæ providentiæ rationem, secundum quam & illa urbs absolute delenda erat, quod in ea nec tamè pauci justi essent, & tamen delenda non erat, si reipsa fuissent. Quod idem locum habet in omnibus aliis hypothèsibus.

Decreta conditionata sic explicata palam rationalia sunt, ac Deo digna. Undè spontè sua concidunt, quæ objiciunt adversarii; non enim sunt inutilia, nugatoria, aut implicancia, sed

in ipsa perfectione & amplitudine dispositionis divinæ, omnia complectentis, manifeste contenta. Nec itidem nova sunt, sed veritissima, cum nihil antiquius sit & apud veteres magis celebratum, quam Deum in sua providentiæ rationibus omnia determinasse & nosse. Hæc, inquam, fusiis laudatus Theologus, tum hic Tract. 1. quæst. 2. art. 1. vide, si lubet.

Obj. 2. Non datur decretum in Deo, nisi ex parte creaturæ sequatur aliqua mutatio; atqui ex decreto conditionato nulla sequitur mutatio in creatura, cum sit inefficax, nisi ponatur conditio, quæ nunquam erit: ergo. Prob. Major: Ex quolibet Dei decreto resultat in ipso nova relatio rationis; atqui hæc non potest resultare ex mutatione facta in Deo: ergo ex mutatione facta in creaturis. R. 1. Hoc argumentum, quod est Vasquez proprium & ejus judicio inextinguibile, suis sociis Suarezio, Granada, Arrubali, & aliis displicere, & merito, cum illi & ipse admittant in Deo decretum concurrenti cum creatura, si velit; quod decretum non majorem, quam nostram, in creatura nolente, operatur mutationem. 2. Data gratis Major, ad Minorem. R. ex decreto conditionato sequi in creatura sufficientem mutationem ad fundandam novam relationem rationis in Deo. Nam 1. per illud res transit de statu possibilitatis ad statum aliquis futuritionis, quod est quedam mutatio objectiva, seu moralis. 2. Sicut ex decreto absoluto sequitur mutatio realis absoluta, ita ex decreto conditionato sequitur mutatio conditionata; ita quod vi illius mutaretur scilicet, si poneretur conditio: & hæc alterutra mutatio sufficit, ut Deus alio modo quam antè comparatur ad creaturas, & ut intellectus noster concipiat in eo novam rationem rationis. Addi potest ex observatione præmissa, mutationem etiam realem & absolutam verè sequi ex decreto conditionato: quia comprehenditur reipsa, imò formaliter est idem cum decreto absoluto, quo res in esse producuntur, ut dictum est.

Obj. 3. Futurum conditionatum, cum actu non existat, non est bonum: ergo non potest esse objectum voluntatis divinæ. R. Neque futurum absolutum actu in re existere, & tamen est objectum voluntatis divinæ: ad id ergo sufficit, quod sit bonum bonitate præsentis, vel futura. Neque obstat, quod objectum, quod non est actu coloratum; sed esset tantum, non posset esse objectum potentie visivæ. Disparitas est enim, quod potentia visiva propter suam materialitatem non possit attingere nisi objectum actu existens & præsens, at verò voluntas, cum sit potentia spiritualis, potest attingere futurum & absens, modo sit objective præsens & aliquo modo futurum, ut patet ex actibus spei & desiderii.

§. ULTIMUS.

Quid sit sciendum de opinionibus aliis a nostra & Moliniana circa præsentiam futurorum conditionatorum in Deo.

R. Esp. nullam esse, quæ ex Principiis positus non possit refutari. Et primum, illam quorundam Scotistarum, quæ dicit Deum futura cognoscere in decreto concomitante intellectum sensu a nostro distincto, explosam habes art. 4. hujus diss. §. 2. immediate ante solutionem argumentorum.

Altera est sententia, quæ docet Deum futura cognoscere in decreto sive absoluto sive conditionato multiplicandi tot gratias, donec creatura consentiat.

At 1. Juxta hanc sententiam Deus non poterit cognoscere neque peccata, neque actus bonos naturaliter, neque futura conditionata, quorum conditio nunquam ponetur, sed duntaxat eos actus bonos, quibus gratia est necessaria. 2. Nec hoc certè & distinctè cognoscere poterit: in hac enim pugna voluntatis cum tot gratiis multiplicatis, undè certitudo haberi potest? Incertum planè quis erit exitus; incertum quæ gratia vincet & quando; incerta omnia: undè ergo Deus certè præscire poterit, an, & quando homo consentiet?

Respondetis, id certè Deum præscire ex infallibilitate morali, quam important tot gratiæ coærvate: sicut infallibile est moraliter, justum inter tot peccatorum venialium tentationes aliquando peccatorum venialiter, & eum, qui undique telis impetitur, aliquando sauciatur iri. Sed contra: Deus longè majori certitudine & distinctione cognoscit, quæ gratia in singulari sit habitura effectum, quam nos cognoscimus justum aliquando peccatorum venialiter, telis impetitur aliquando esse confodiendum. Alias sequeretur, Deum tantum præscire in communi hominem esse convertendum, non verò in singulari a quo, & quando. Quod erroneum jure reputat S. Thom. hic quæst. 14. art. 6. o. dicens: *Quidam erraverunt dicentes, quod Deus alia a se non cognoscit nisi in communi.*

3. Illa tandem gratia, cui ex tot coærvatis succumbit voluntas, vel id obtinebit vi propria, seu quod idem est, vi voluntatis divinæ, vel ex innata libertate voluntatis humanæ, quæ potius huic quam aliis gratis volet consentire. Si primum,

ergo Deus in hac sua voluntate dandi gratiam per se efficacem cognoscit hunc futurum consensum, & hoc intendimus: si secundum, ergo hunc consensum futurum cognoscit per scientiam mediā, quam rejiciamus.

Altera iterum est sententia quorundam recentiorum, qui dicunt Deum futura conditionata cognoscere in simili. Sed vel in simili Deus præscivit consensum conditionatè futurum vi sui decreti, vel illum expectavit a voluntate. Si primum, habemus intentum; si secundum, est scientia mediā. Insuper in quo simili Deus potuit cognoscere, bonos Angelos & Adamum penitentem gratiæ consensuros?

Pro coronide tandem nota, quod, quæcumque hucusquæ diximus contra Molinistas, pariter sint dicenda contra Jansenistas quantum ad statum innocentiam; hi enim pro hoc statu admittunt scientiam mediā, sicut Molinistæ pro utroque statu. Et hæc de scientia mediā nunc sufficiant pro nostro instituto. Quantum ad alia, quæ etiam illam spectant, præsertim argumenta petita ex læsione libertatis & sanctitatis divinæ, & ex insufficientia auxiliorum, require infra de decretis.

ARTICULUS VII.

De Ideis, Veritate, & Vita Dei.

D. Thom. QQ. 15. 16. & 18.

Cum omne cognitum sit in cognoscendo secundum esse intelligibile, & illud esse vocetur idea; rursus quia scientia est verorum, ac tandem intelligere sit perfectissimum vite gradus; post considerationem divinæ scientiæ, S. Thomas de ideis, veritate, & vita Dei tractat.

§. I. De Ideis Divinis.

Idea græcè, latine forma dicitur. Undè per ideas intelliguntur formæ aliarum rerum præter ipsas res existentes, & definiti solet idea: *Forma in mente existens; ad quam respiciens artifex operatur.* Duplex est ejus officium: 1. quod sit exemplar ad cuius normam fit ideatum. 2. quod sit ratio illud cognoscendi; per ideam enim in mente cognoscimus ideatum in re. (*Hic quæst. 15. art. 1. o.*)

Petes 1. Utrum dentur ideæ in mente divina?
R. Affirmativè: (*Ibid.*) quia, qui non casu nec cæco modo agit, sed ex intentione, agit secundum formam mente præconceptam, id ex se patet: sic artifex, qui, non casu nec cæco modo, sed ex intentione domus construendæ agit, habet formam domus in mente præconceptam ad quam operando respicit; atqui Deus non casu nec cæco modo agit, non enim hoc universum, & omnia in ipso contenta fortuito, aut cæco impetu produxit: ergo.

Petes 2. Quid sunt Ideæ in Deo?
R. 1. Ideæ in Deo non sunt ipsæ creaturæ secundum esse diminutum, quod habent ab æterno extra Deum per actum divini intellectus productum, ut vult Scotus; tum quia nihil est creatum ab æterno; tum quia, quidquid est in Deo Deus est: tum tandem, quia idea est causa realis rerum, & principium cognitionis, & operationis; repugnat autem, quod creatura quovis modo sumpta sui causa sui, nec quod sit ratio, qua Deus cognoscat, & operetur: ergo.

2. Neque sunt ipsa divina essentia ut gerit vices speciei impressæ, ut volunt quidam Recentiores. (*Ibid. art. 2. o.*) Quia idea operati est in mente operantis ut quid intellectum, non quo intelligitur; est enim forma ad quam respiciens artifex operatur. Sic forma, seu idea domus in mente ædificatoris est aliquid ab eo intellectum, non aliquid quo ejus intellectus informatur, & intelligit; atqui species impressa non est id quod intelligitur, sed quo intelligitur: ergo.

3. Sunt ergo ideæ in mente Dei ipsa essentia divina, ut cognita, seu ut species expressa, (*Ibid.*) non quidem quatenus exprimit Deum præcise secundum quod in se est, sed quatenus exprimit ipsam divinam essentiam secundum quod est participalis, & imitabilis secundum aliquem modum similitudinis a creaturis. Sic enim Deus est exemplar hujus, vel illius creaturæ, quæ nihil est aliud, quam imperfecta Dei imitatio, & participatio.

Si dicas, ideam esse formalem similitudinem ideati, imò esse formaliter ipsum ideatum in esse intelligibili: sic idea domus est ipsa domus in esse intelligibili; essentiam divinam verò neque esse formaliter similem creaturis, cum illas longè excedat, neque posse dici esse creaturam etiam in esse intelligibili, aut quovis alio sensu: ergo.

R. Ad 1. ideam esse similitudinem formalem ideati non in esse entitativo, sed in esse intelligibili, & representativo; sic autem essentia divina potest intelligi formaliter similis creatu-

ET DIVINIS ATTRIBUTIS.

ra: (*1. contra gent. c. 54.*) quia, licet illas longè excedat: potest tamen considerari, non secundum illam eminentiam, sed secundum quod præcise continet hoc particulare, intelligendo in quo illud particulare ipsum imitatur, & in quo ab ejus perfectione deficit.

Ad 2. R. Quod, quamvis idea sit ideatum in ordine intelligibili, non tamen in ordine entitativo, respectu cuius idea est duntaxat ratio ideati, & non ipsum ideatum; etenim idea domus non est ipsa domus in ordine entitativo; & cum hoc nomen creatura importet ordinem entitativum, exprimit enim id, in quo ideatum distinguitur ab idea, nempe quod sit ab ipsa derivata, & participata: hinc est quod non possit dici, quod idea sit creatura etiam in esse intelligibili: potest autem dici, quod sit homo, quia hoc nomen homo non exprimit nisi speciem hominis, & non statum, quem habet in re: nec tamen dicitur simpliciter homo, sed homo archetypus, seu originalis.

Petes 3. Utrum sint plures ideæ in Deo?
R. Affirmativè: (*Hic art. 2. o.*) quia Deus operans intendit per se ordinem Universi; is enim ordo est quid ultimum, & optimum in rebus a Deo effectis: quod autem est ultimum, & optimum in effectu, per se intenditur ab agente: atqui ratio alicujus totius haberi non potest, nisi habeantur propriæ rationes eorum, ex quibus totum constituitur: sicut ædificator speciem domus concipere non posset, nisi apud ipsum esset propria ratio cujuslibet parium ejus: ergo. Confirmatur: Deus non tantum rem facit, sed plures, & diversas: ergo plures, & diversas habet ideas, ad quarum instar has diversas res producit ad extra.

Dices 1. Idea in Deo ex dictis est essentia divina, ut cognita, seu ut species expressa; atqui essentia divina, ut cognita, seu ut species expressa est una: ergo. R. Quod idea non nominat essentiam divinam, ut cognitam tantum, sed ut cognitam imitabilem. Undè secundum quod est multiplex imitabilitas intellecta in essentia divina propter plenitudinem suæ perfectionis, est pluralitas idearum. (*Ibid. ad 1. o. & in 1. d. 38. q. 2. ad 1.*)

Dices 2. Sicut idea est principium cognitionis, & operationis, ita ars, & scientia; sed in Deo non sunt plures artes, & plures scientiæ: ergo nec plures ideæ. R. N. Consequ. (*Hic loc. cit. ad 2.*) Disparitas est, quod ars, & scientia sunt id, quo Deus intelligit; idea verò id, quod Deus intelligit. Deus autem uno intellectu plura intelligit, non solum secundum quod sunt in seipsis a parte rei, sed etiam secundum quod sunt in intellectu, quod est intelligere plures rationes rerum, seu ideas: sicut artifex, dum intelligit formam domus in materia, dicitur intelligere domum, dum autem intelligit formam domus ut a se speculatum (ex eo quod intelligit se intelligere eam) intelligit ideam, vel rationem domus. Deus autem non solum intelligit multas res per essentiam suam, sed etiam intelligit se intelligere multa per essentiam suam; & hoc est intelligere plures rationes rerum, vel plures ideas esse in intellectu ejus, ut intellectus.

Dices 3. & præcipuè: pluralitas idearum officit simplicitati Dei, in quo fides non agnoscit nisi pluralitatem personarum: ergo. R. Ant. Quia pluralitas idearum in Deo in hoc sita est, quod essentia divina intelligitur diversimodè imitabilis a creaturis: ex hoc autem quod intelligitur diversimodè imitabilis a creaturis, non sequitur quod ipsa sit realiter multiplex, cum ab una, & eadem causa inveniendi possint profluere diversi effectus eam imitantes. Non ergo sunt concipiendæ plures ideæ in Deo realiter distinctæ divinam essentiam quasi formaliter afficientes, sicut sunt plures in eo relationes personales; sed dicuntur esse plures in Deo quasi objective, & ut ab ipso intellecte, (*In 1. cit. ad 2.*) ita ut pluralitas idearum sit in intellectu divino, & non in natura ipsius: neque enim eodem modo est in Deo idea, & perfectio divina, v. gr. forma equi, & vita: forma, seu idea equi non est in Deo nisi ut ratio intellecta; sed ratio vite est in Deo, non tantum sicut in intellectu, sed etiam sicut in natura firmata. Consule sequentem responsum.

Petes 4. Utrum respectus ideales, quibus constituuntur, & multiplicatur ideæ (non enim potest concipi idea equi sine ordine ad equum) sint relationes rationis apprehensæ in essentia divina comparata ad creaturas: ratio dubitandi est auctoritas D. Thom. qui hic art. 2. ad 3. & alibi dicit, hos respectus ideales non causari a rebus; sed ab intellectu divino comparante essentiam suam ad res.

R. Probabilis negativè cum communiori sententia Thomistarum. Ad intelligentiam textus D. Thom. observandum est, duobus modis posse intelligi, quod intellectus divinus comparat essentiam suam ad res. 1. Apprehendendo in ea relationem ad res, quasi esset, cum tamen non sit, quod est facere relationem rationis: hoc autem nunquam S. Thomas dicit, & repugnat Deo, quia apprehendere non ens quasi esset ens importat imperfectionem, ut docent nostri Logici. 2. In-

Theol. Billuars. Pars Prima.

telligendo essentiam suam ut principium imitabile a creatura & ut terminum relationis imitabilitatis, quam creatura realiter dicit ad illam, absque quod ullam rationem ad creaturam concipiat in sua essentia, cum revera non sit; & hoc secundo modo juxta S. Thom. intellectus divinus comparat essentiam suam ad res, & comparando causat respectus ideales, quatenus intelligendo suam essentiam pluribus modis a creatura participabilem, intelligit relationes reales creaturarum ad se, consequenter eas causat, non ut sint in creaturis, sed ut sint in suo intellectu intellecte, sic enim solum sunt ideales. Hanc esse suam mentem, aperte declarat S. Doctor quæst. 3. de verit. art. 2. o. ubi dicit: *Essentia divina est idea rerum, non quidem ut essentia, sed ut est intellecta; res autem create non perfecte imitantur divinam essentiam: unde essentia non accipitur absolute ab intellectu divino ut idea rerum, sed cum proportione creaturæ funde ad ipsam divinam essentiam, secundum quod deficit ab ea, vel imitatur eam: diversa autem res diversimodè ipsam imitantur... Et ideo ipsa divina essentia, cōintellectis diversis proportionibus rerum ad eam, est idea unicuique rei: unde, cum sint diversæ rerum proportionis, necesse est esse plures ideas: & est quidem una omnium ex parte essentia, sed pluralis invenitur ex parte diversarum proportionum creaturarum ad ipsam.* Et in resp. ad 8. Relatio, quæ est inter Deum, & creaturam, non est in Deo secundum rem; est tamen in Deo secundum intellectum suum, prout scilicet intelligit respectum rerum ad suam essentiam, & sic respectus illi sunt in Deo ut intellecti ab ipso. Quo nihil clarius dici potest: ergo juxta S. Thom. respectus ideales sunt in Deo, ut intellecti ab ipso, & hoc sensu ab ejus intellectu causati; non quod aliquem respectum suæ essentia ad creaturam intelligat, aut fingat, sed quia intelligit respectus reales creaturarum ad suam essentiam, & eam illis comparat, ut ab illis respectam, ita ut relativum se teneat ex parte creaturæ, non verò fingatur vicissim in Deo ad creaturam; licet nos ex imperfectione intellectus nostri talitèr non concipiamus.

Petes 5. Quarum rerum Deus habet ideas?
R. Deus habet propriam ideam omnium, quæ actione propria fiunt ab ipso, aut fieri possunt, diverso tamen modo. (*Hic art. 3. o. & q. 3. de verit. art. 6.*) Eorum enim, quæ faciunt, aut facturus est, habet ideas actu practicas, quia ex decreto voluntatis divinæ sunt determinate ad operandum. Eorum autem, quæ tantum facere potest, habet ideas virtualiter solum, & in potentia practicas, quia non sunt per propositum divinæ voluntatis applicatæ ad operandum. Undè, quando S. Thomas hic o. & ad 2. dicit, quod respectu possibilem non est idea in Deo secundum quod idea significat exemplar faciendi, sed solum secundum quod significat rationem cognoscendi, intelligendus est de idea actu, & non virtute tantum, practica, ut ipse se explicat loco cit. de veritate. Nihil namque impedit, quin artifex possit verè formare ideam non solum de re, quam facit, aut vult facere, sed etiam de illa, quam facere potest, quamvis nolit.

Dixi: *Eorum, quæ ab ipso fiunt*; quia eorum, quæ ipse non facit; ut sunt peccata & privationes, non habet ideam; non solum ut est exemplar faciendi, cum ipse non faciat, sed nec ut est ratio cognoscendi, quia hæc non cognoscit per propriam rationem, sed per rationem boni oppositi. (*Hic art. 3. ad 1.*)

Dixi etiam: *Eorum, quæ propriis actione fiunt*; quia, quæ non fiunt propria actione, sed ad productionem alterius, ut materia & forma, quæ producuntur productione compositi, & proprietates, quæ sequuntur ad productionem essentia, licet habeant in Deo ideam, non tamen habent propriam & distinctam ab idea illius, cum quo aut in quo producuntur. (*Ibid. ad 3. & 4.*)


Si tandem petas, quæ sit causalitas ideæ? R. proprie & principaliter esse causalitatem formalem extrinsecam; sicut enim forma naturalis sui ipsius communicatione constituit formaliter intrinsicè compositum talis speciei, sic idea objecta menti artificis determinat formaliter extrinsicè per passivam sui imitationem agens ad effectum talis speciei. Potest etiam dici, quod habeat aliquo modo & consequenter rationem causæ efficientis, quatenus artifex operatur per illam tantquam per formam actualem: item & causæ finalis, quatenus apprehensione suæ perfectionis movet artificem ad efficiendum simile.

§. II. De veritate, & vita Dei.

Deo 1. In Deo est veritas, imò ipse est prima & summa veritas. (*Hic quæst. 16. art. 5. o.*) Explicatur & prob. Triplex distingui potest veritas. Prima in essendo, & est proprietas entis, secundum quam habet esse ratum, fixum, & tale, quod sit conforme intellectui divino res cognoscenti prout debent esse; atqui esse divinum non solum est conforme suo intellectui, sed est ipsummet suum intelligere: ergo non solum

est in Deo veritas in essendo, sed est ipsa veritas. Secunda in cognoscendo, est conformitas cognitionis cum re cognita; atqui cognitio, seu intelligere divinum non solum perfectissime attingit omnia ut sunt, sed ipsum etiam est mensura omnium rerum, omnium intellectuum, & omnium intellectuum, & ipsius nulli est mensura: ergo non solum est in eo veritas cognitionis, sed ipse est prima, & summa veritas. Tertia in dicendo, quae dicitur veritas, est conformitas dictionis cum cognitione: impossibile est autem Deum mentiri, ut ait Apostolus ad Hebr. 6. eod quod sit prima, & essentialis veritas: ergo.

Dico 2. Deo perfectè competit vita; quia ipsi perfectè competit operari ex seipso, & a nullo alio moveri, in quo sita est ratio viventium, prout distinguuntur a non viventibus. Imò Deus est essentialiter ipsum suum vivere, quia vivere in Deo est intelligere, cum vivat gradu vitae perfectissimo; intelligere autem in Deo est essentialiter suum esse, ut alibi dictum est. Hinc Christus Joann. 14. dicit: *Ego sum via, veritas, & vita.* (Hic quest. 18. art. 3. o.)



DISSERTATIO VII.

DE VOLUNTATE DEI

D. Thom. Q. 19.

Post considerationem eorum, quae pertinent ad divinam scientiam, considerandum est de his, quae pertinent ad divinam voluntatem: ut sit prima consideratio de ipsa Dei voluntate. Secunda de his, quae ad voluntatem absolute pertinent, nimirum de variis ejus affectionibus. Tertia de his, quae ad intellectum in ordine ad voluntatem pertinent, scilicet de Providentia, & Praedestinatione. Duo prima considerabimus in hac Dissert. Tertium in sequenti. (Quest. 19. in Proem.)

ARTICULUS I.

An sit, & quid sit voluntas in Deo?

Dico 1. Voluntas est formaliter, & proprie in Deo. (Ibid. art. 1. o.) Conclusio salva fide negari non potest, cum aperte in Scriptura tradatur. Sic Rom. 12. *Ut probetis quae sit Voluntas Dei.* Ps. 213. *Omnia quaecumque voluit, fecit.* Rom. 6. *Voluntati ejus quis resistit?* & alibi passim. Haec autem testimonia SS. Patres, & Theologi unanimitè intelligunt in sensu proprio.

Hanc conclusionem multis rationibus probat S. Thom. 1. contr. Gent. cap. 72. quarum haec una est, ordine tertia. Illud, quod consequitur omne ens, convenit enti in quantum est ens, & maxime primo enti; atqui cuilibet enti competit appetere suam perfectionem, & conservationem sui esse; unicuique tamen secundum suum modum: intellectualibus quidem per voluntatem, nam voluntas nihil est aliud quam inclinatio ad bonum per intellectum apprehensum, seu, ut definitur communiter ex Aristotele, *appetitus boni cum ratione*: animalibus per sensibilem appetitum: carentibus sensu per appetitum naturalem; aliter tamen quae habent, & quae non habent: nam ea, quae non habent, tendunt ad acquirendum; quae autem habent, complacent, & quietantur in ipso. Hoc igitur primo enti, quod Deus est, deesse non potest; & cum sit ipse intelligens, inest sibi voluntas, quod placet sibi suum esse, & sua bonitas. Item, finis, seu bonum est proprium objectum voluntatis: ergo agens propter finem est volens finem, consequenter habet voluntatem. Subsumo; atqui Deus agit propter finem, non enim ab alio agit, cum sit primum agens: ergo habet voluntatem. Pluribus aliis omissis, adde voluntatem esse perfectionem simpliciter simplicem, proindeque non esse Deo denegandam.

Verum est difficultas circa rationem alteram, quam unicam hic addert S. Thom. (Hic quest. 19. art. 1. o.) eam enim impugnant nonnulli, & sic proponitur. Voluntas sequitur intellectum; atqui in Deo est intellectus: ergo & voluntas. Min. constat. Prob. Maj. Sicut res naturalis constituitur in actu per suam formam naturalem, sic intellectus constituitur actu intelligentis per suam formam intelligibilem, seu speciem; atqui ad formam naturalem sequitur haec inclinatio, seu habitudo, ut, dum illam habet, in ea quiescat, & complaceat, dum non habet, in illam tendat; similiter de quavis alia perfectione sibi conveniente, omnem enim formam sequitur inclinatio, qua tendit ad id quod convenit, & refugit quod nocet: sic ad formam ignis sequitur inclinatio ad sursum, ad formam lapidis ad deorsum; & haec inclinatio in rebus sensu, seu ratione carenti-

Dico 3. Omnes creaturae secundum esse ideale, quod habent in Deo, sunt vita in ipso. (Ibid. art. 4. o.) Quia, cum vivere Dei sit ejus intelligere, ut dictum est, & in eo sit idem & intellectus, & quod intelligitur, & ipsum intelligere, sequitur, quod, quidquid est in Deo ut intellectum, sit ipsum vivere, seu vita ejus: ergo, cum omnia, quae facta sunt à Deo, sint in ipso ut intellecta, seu secundum esse suum ideale, sequitur, quod omnia secundum esse ideale, quod habent in ipso, sint ipsa vita divina. (Ibid. in arg. 3. c.) Hinc dicitur Joann. 1. *Quod factum est, in ipso vita erat.* Sic saltem legit S. Thom. cum Patribus Latinis Aug. Hieron. & aliis quamvis Chrysostomus, & alii Patres Graeci, puncto posito post *To Quod factum est*, legant: *Sine ipso factum est nihil, quod factum est.*

Plura omittimus, quae tractat S. Thomas in his duabus questionibus, sicut & totam questionem 17. tum brevitate causa, cum quia ferè omnia pertinent ad Philosophiam, ad quam remittimus.

bus dicitur appetitus innatus, seu naturalis: ergo ad formam intelligibilem, qua intellectus constituitur actu intelligens, debet sequi inclinatio ad rem sic apprehensam, & per hanc speciem representatam; ut, dum habet, in illa complaceat; dum non habet, in illam tendat; & haec inclinatio vocatur appetitus rationalis, qui est voluntas, ut patet ex dictis: ergo ad intellectum sequitur voluntas.

Contra hanc rationem multipliciter instatur. 1. Falsum est, quod res ad formam, per quam in actu constituitur, tendat, quando eam non habet; tum quia si eam non habet, non est; tum quia inclinatio sequitur ad formam, & forma praecedit. 2. Quia argumentum S. Thomae transit à forma intelligibili ad rem per eam representatam: ex eo enim quod ex forma sequitur inclinatio ad illam, debet inferri, quod in intellectu actuato per formam intelligibilem esset inclinatio ad illam, & non ad rem per illam representatam. 3. Non probatur, quod illa inclinatio sit alius appetitus, quam innatus, seu naturalis, ut in aliis rebus naturalibus.

R. ad 1. sensus S. Thomae non esse, quod ex forma, quae nullo modo habetur, sequatur in re inclinatio ad illam simpliciter habendam, id enim est impossibile, ut bene probat argumentum; sed sensus est, quod ex forma, quae habetur, sed non cum tota perfectione sibi debita, sequatur in re inclinatio ad illam ut complementam, & conjungendam cum perfectione debita, ut patet in igne, vel lapide tendente in centrum. Si inferas: ergo frustra subjungit S. Thom. *Et adem est de qualibet perfectione naturali, quod est bonum naturae*; cum juxta nos priora verba hunc eundem sensum referant. R. N. illationem, quia priora verba intelliguntur de proprietatibus, quae proficiunt à forma per dimanationem, ut de descensu lapidis deorsum; sequentia de perfectionibus non dimanantibus ab ipsa natura, sed de quacumque alia superveniente illi ex vi alterius actionis. Ad 2. N. Ant. quia forma intelligibilis, & res per eam representata non possunt in numero, nec differunt nisi ratione status; cumque res in esse intentionali sit vicaria rei in esse naturali, haecque consequenter sit complementum; & perfectio illius, voluntas appetens bonum per formam intelligibilem representatam, appetit formam complementam, & conjungendam cum sua perfectione: sicut res naturalis non tam appetit formam sui constitutivam, quam ejus complementum, ut modo dicebam. Ad 3. Appetitus sequens ad intellectum differt à naturali, seu innato, 1. quod naturalis sequatur ad formam naturalem, alter ad formam apprehensam, seu cognitam. 2. Appetitus naturalis est limitatus, & determinatus ut lapidis ad centrum; appetitus autem sequens intellectum est indifferens, & illimitatus ad quodlibet appetibile, sicut ipsa forma intelligibilis ad quam sequitur, proindeque non est naturalis, sed elicitus.

Dices contra conclusionem: 1. Objectum voluntatis est bonum, & finis; atqui Dei non est assignare finem. 2. Voluntas est appetitus, appetitus autem est rei non habite, quod imperfectionem designat, quae Deo non competit. 3. Voluntas comparatur ad objectum ut mobile ad movens; Deus autem est primum movens immobile: ergo. R. ad 1. D. Min. Dei volentis non est assignare finem, transeat; volitorum à Deo, N. ipso enim est finis respectu omnium, quae ab ipso fiunt. Dixi: Transeat

sest Minor; quia licet respectu voluntatis divinae nihil possit assignari, quod sit verè, & realiter finis, quia finis sic distinguatur realiter à finalitate; potest tamen assignari, quod sit virtutis finis, nimirum divina bonitas: sicut enim dicimus, unum attributum esse causam virtutem alterius, ut immutabilitatem aeternitatis, quia, si haberet causam, haec esset; ita divina bonitas potest dici virtualiter causa finalis voluntatis divinae. (Ibid. ad 1.) Ad 2. licet voluntas sit appetitus, & ab appetendo nominetur, non tamen hanc solum actum habet, ut appetat, quae non habet, sed etiam ut amet, quod habet, & delectetur in illo. Et quantum ad hoc voluntas in Deo ponitur, quae semper habet bonum, quod est ejus objectum à se indistinctum. (Ibid. ad 2.) Ad 3. Major est vera de voluntate creata distincta à suo objecto, non de voluntate divina, quae identificatur cum suo objecto, scilicet divina bonitate; nihil enim propriè movetur a seipso, sed tantum secundum modum nostrum imperfectum intelligendi. (Ibid. ad 3.)

Dico 2. Voluntas divina est formaliter ipsa volitio absque virtuali distinctione: ita ut voluntas respectu volitionis non habet ratione potentiae, nisi secundum modum nostrum concipiendi res divinas per analogiam ad res creatas: habet tamen rationem potentiae respectu effectus, seu termini ab ipsa procedentis aut producti. (Hic q. 25. a. 1. ad 3. & q. 41. a. 4. ad 3.)

Prima pars constat ex dictis Diss. 5. art. 1. §. 1. concl. 2. de intellectu, & intellectione divina, nimirum ea sola distingui in Deo virtualiter, quae aequivalent pluribus creatis ex objecto formali distinctis, & ad diversas lineas pertinentibus; voluntas autem, & volitio in Deo habent idem objectum formale, nec pertinent ad diversas lineas. Item, si voluntas virtualiter distingueretur a volitione, & servaret rationem potentiae ad illam, conciperetur perfectibilis, & actuabilis per illam, consequenter non conciperetur ut actus purus. Argumenta vide loc. cit. Secunda pars etiam patet: quia salvatur ratio potentiae, & principii respectu illius, quod ab ipsa potentia procedit, ut distinctum, ita ut sine illo possit potentia integrè concipi; atqui effectus, seu terminus divinae voluntatis, tam ad intra ut Spiritus sanctus, quam ad extra ut creaturae, procedunt à divina voluntate cum aliqua distinctione, ita ut sine illis possit concipi divina voluntas: ergo. Adde, quod potentia ad effectum non se habeat ut actuabilis, & perfectibilis per illam, sed e contra ut actus, & perfectibilis illum. (Quest. 41. cit.)

Dico 3. Voluntas divina est de constitutione physica divinae naturae; quia omnia in Deo sunt realiter identificata in una natura: non est autem de constitutione metaphysica, quia supponit illam metaphysicè constitutam; metaphisicè enim intellectum ad quem sequitur, & per quem probatur; natura verò divina metaphysicè constituitur per actualissimum intelligere, ut probavimus in antecedentibus.

eo, qui sumit medicinam amaram propter sanietatem, sola sanitas movet voluntatem: Deus autem non vult alia à se, nisi propter suam bonitatem, ut dicemus modo, unde non sequitur, quod aliquid aliud moveat voluntatem ejus, nisi sua bonitas. (Ibid. art. 2.)

Dices 3. Quicumque voluntati sufficit aliquid volitum, nihil querit extra illud; atqui Deo sufficit sua bonitas: ergo. R. Quod ex hoc, quod voluntati divinae sufficit sua bonitas, non sequitur, quod nihil aliud velit, sed quod nihil aliud velit nisi ratione suae bonitatis: sicut etiam intellectus divinus licet sit perfectus ex hoc ipso, quod divinam essentiam cognoscit, tamen in ea cognoscit alia. (Ibid. ad 3.)

Dices 4. Actus voluntatis multipliciter secundum voluntatem, si Deus vult se & alia à se, erit multiplex actus ejus voluntatis. R. Quod, sicut intelligere divinum est unum, quia non videt multa nisi in uno; ita velle divinum est unum & simplex, quia multa non vult nisi per unum, quod est sua bonitas. (Ibid. ad 4.)

Dico 2. Objectum formale, tam motivum, quam terminativum divinae voluntatis est sola bonitas divina; creatura autem sunt ejus objectum materiale tantum. (Ibid. ad 2. 3. & 4. & in 1. d. 45. quest. 1. art. 2. o. & ad 1.)

Prob. Illud est objectum formale, tam motivum, quam terminativum, alicujus potentiae, a quo per se & ratione sui movetur, & quod per se & ratione sui attingit; atqui sola bonitas divina est id, a quo per se & ratione sui movetur divina voluntas, & id quod per se & ratione sui attingit: ergo. Major est notio objecti formali tam moviti, quam terminativi. Prob. Min. Deus in quolibet volendo est suus sibi finis; universa enim propter semetipsum fecit Dominus, inquit Scriptura; atqui in his, quae volumus propter finem tantum, tota ratio movendi est finis: sic, qui vult sumere potionem amaram propter sanietatem, sanitas est id, quod solum movet ejus voluntatem; si autem sit tota ratio movendi, est etiam terminandi, cum inter objectum motivum, & terminativum debeat esse proportio, ut diximus Diss. 5. art. 2. §. 2. de objecto intellectus divini, & saepe doceat S. Thom. ex Aristotele, omnem motum appetitis circulo perfici, redeuntem in illud, a quo incepit.

Prob. 2. Sola bonitas divina est objectum omnino adaequatum voluntatis divinae: ergo sola bonitas est ejus objectum formale, tam motivum, quam terminativum. Patet cons. quia, si aliud quam bonitas divina moveret, aut terminaret voluntatem divinam, jam ipsa sua bonitas non foret objectum ejus adaequatum. Patet etiam Antec. quia bonitas divina tam late patet in ratione boni, quam patet voluntas divina in ratione potentiae volitive, cum utraque sit in suo ordine infinita. Adde, quod voluntas specificatur ab objecto suo formali; voluntas divina autem non potest specificari ab alia bonitate, quam divina, quia specificari est dependere & perfici saltem extrinsecè a suo specificativo.

Secunda pars conclusionis patet ex dictis: si enim, ut dictum est in prima conclusione, divina voluntas feratur in creaturas, & ut modo dicebamus, sola ejus bonitas sit ejus objectum formale, sequitur, quod creaturae sint ejus objectum materiale.

Obj. 1. Deus movetur nostris meritis ad nos praemiandum, nostris demeritis ad nos puniendum, nostris miseris ad nobis subveniendum; & ab his diversis motibus specificantur diversae virtutes justitiae, & misericordiae in Deo; non enim in eo sola est charitas, sed justitia, misericordia, liberalitas, &c. Ergo. R. N. Ant. & dico, Deum ad haec moveri sola sua bonitate, diversimodè considerata: quamvis enim divina bonitas in se sit una, tamen comparata ad creaturas, potest sub diversa ratione considerari: sic ut est ratio miseris subveniendi, movet & specificat misericordiam, ut est ratio beneficiendi specificat liberalitatem, ut est ratio cuique suum tribuendi movet ad puniendum demerita, & ad praemiandum merita, & specificat justitiam; & sic de ceteris. Non ergo ad haec movetur Deus propter honestatem quandam particularem, quae in objectis relucet, sicuti nos movemur, sed quia id deest ejus bonitatem.

Obj. 2. Si Deus amaret creaturas propter se, seu propter suam bonitatem, sequeretur 1. quod illas amaret amore concupiscentiae, & non amicitiae, quod falsum est saltem de justis juxta illud Joann. 15. *Jam non dicam vos servos, sed amicos.* Prob. sequela de ratione amicitiae est, quod amicus propter seipsum diligatur, & non propter amantem, id enim est amoris concupiscentiae: ergo. Sequeretur 2. Quod Deus amaret creaturas tamquam media ad assequendum suum finem, scilicet suam bonitatem; quod est absurdum: ergo. R. ad 1. N. sequelam, ad prob. D. de ratione amicitiae, est, quod amicus diligatur propter seipsum, ly *Propter* dicente finem cui, C. ly *Propter* dicente rationem motivam, N. Quando igitur dicitur amicum diligere propter seipsum, & non propter amantem, sensus est, ut amatus sit finis cui beneficiorum, ita quod amans

Dico 1. Velle divinum est ejus esse; sed Deum non est aliud a se: ergo non vult aliud a se. R. D. Maj. Velle divinum est ejus esse secundum rem, C. Secundum modum intelligendi, & significandi, N. In hoc enim, quod dico Deum esse, non importatur habitudo ad aliquid, sicut in hoc, quod dico Deum velle; & ideo, licet non sit aliud a se, vult tamen aliquid aliud a se. (Ibid. ad 2.)

Dices 2. Volitum movet voluntatem: si igitur Deus velit aliquid aliud a se, movebitur voluntas ejus ab aliquo alio, quod est impossibile. R. D. Ant. Volitum propter se movet voluntatem, C. Ant. Volitum propter aliud, N. In his enim, quae voluntatis sunt finem, tota ratio movendi est finis, ut patet in Theol. Billuart. Pars Prima.

Prob. Illud est objectum formale, tam motivum, quam terminativum, alicujus potentiae, a quo per se & ratione sui movetur, & quod per se & ratione sui attingit; atqui sola bonitas divina est id, a quo per se & ratione sui movetur divina voluntas, & id quod per se & ratione sui attingit: ergo. Major est notio objecti formali tam moviti, quam terminativi. Prob. Min. Deus in quolibet volendo est suus sibi finis; universa enim propter semetipsum fecit Dominus, inquit Scriptura; atqui in his, quae volumus propter finem tantum, tota ratio movendi est finis: sic, qui vult sumere potionem amaram propter sanietatem, sanitas est id, quod solum movet ejus voluntatem; si autem sit tota ratio movendi, est etiam terminandi, cum inter objectum motivum, & terminativum debeat esse proportio, ut diximus Diss. 5. art. 2. §. 2. de objecto intellectus divini, & saepe doceat S. Thom. ex Aristotele, omnem motum appetitis circulo perfici, redeuntem in illud, a quo incepit.

Prob. 2. Sola bonitas divina est objectum omnino adaequatum voluntatis divinae: ergo sola bonitas est ejus objectum formale, tam motivum, quam terminativum. Patet cons. quia, si aliud quam bonitas divina moveret, aut terminaret voluntatem divinam, jam ipsa sua bonitas non foret objectum ejus adaequatum. Patet etiam Antec. quia bonitas divina tam late patet in ratione boni, quam patet voluntas divina in ratione potentiae volitive, cum utraque sit in suo ordine infinita. Adde, quod voluntas specificatur ab objecto suo formali; voluntas divina autem non potest specificari ab alia bonitate, quam divina, quia specificari est dependere & perfici saltem extrinsecè a suo specificativo.